

apud Joh. Sleidanum lib. 4. & 5. de statu relig. sub Carolo V. anno Christi 1525. Plura videantur apud Joh. Spinæum de tranquillit. animi, in loco de Curiositate. Memorabile etiam est exemplum Johannis Funcii, Chronologi illius excellentiss. Hic quum Illustriss. Alberti Ducis Borussiae & March. Brandenburgensis concionator aulicus esset, non contentus ecclesiastico munere, alterum pedem etiam in dicasterio habere voluit; postmodum unâ cum aliis duobus consiliariis Horstio & Snellio ab Ordinibus accusatus, quòd contra Principem suum cum Moscovitaram Duce sese confederâset, eiq; omnia Alberti Borussi consilia detegeret, Regiomonti capite est truncatus, ubi in loco supplicii jam jam decollandus hoc dicitur recitâsse distichon:

*Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.*

Et notabile est, quòd refertur de Justo Jona Jurisconsulto, Justi Jonæ Theologi filio, quòd, quum gravius in Regem Daniæ per curiositatem deliquisset, Hafniæ jam capite truncandus recitaverit hos versus:

*Quid juvat innumeros scire atq; evolvere casus,
Si facienda fugis, si fugienda facis,*

Utrumque exemplum vide apud Bucholzerum in Indice Chronologico. Telemachus matrem jubet sua curare apud Homerum lib. 1. Odyss.

*Ἄλλ' εἰς οἶκον ἴσσοι τὰ σωτῆς ἔργα κήμιζε
Ἴσόν τ' ἠλακείτῳ τε κῆ ἀμφιπόλοισι κέλδουε
Ἔργον ἐποίχεσθ'· μῦθ' δ' ἀνδρῶσι μελήσθ'.
At tu perge domum, ἐν qua sunt tua munera, cura,
Telas atq; colos ancillis pensa jubeto:*

Verba viri curent.

Quoniam igitur non omnia possumus omnes, ob oculos nobis ponamus illud Apellis: *Ne sutor ultra crepidam*; Plinius lib. 35. c. 10. & illud Socratis:

Quæ supra nos, nihil ad nos.

4 Sedulitati in defectu opponitur Negligentia, quâ homo à justo labore deficit.

SCHOL.

*Egregium
exemplum
curiositatis*